

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Brevis Instructio De Solido Ficto**

**Neller, Georg Christoph**

**[Trier], [MDCCLIX?]**

**VD18 13642987-ddd**

[Brevis Instructio De Solido Ficto]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16318**



## I. N. J. C.

I.



*Solidorum* tam est crebra in utroque jure, & aliàs mentio, ut titulo de V. S. præclaram navent operam, qui cum COVARRUVIA, aliisque JCtis, in deprehendendâ *verâ solidorum notione* defudant.

II. Nec minùs referent ei grates Ecclesiæ, & tot alii, quibus debentur veteres census mediæ ævi *sub nomine solidorum*, & sæpè minimum aliquid pro magno solvitur ex ignorantia monetæ; sæpè creditor, & debitor sumptuosus implicantur propterea litibus; interdum iudex ipse nescit.

III. Est autem *solidus* duplex: 1) *Numeralis, fictus*, sive *quantitatis* in numerum specierum redactæ: 2) *Speciei*, si nempè certus quidam *nummus*, *in specie* cusus, vocetur *solidus*.

A

IV. So-

IV. Solidus speciei alius est monetae magnae, & pretiosioris, velut solidus, sive aureus Romanorum: alius est monetae minutae, cursibilis, & vilioris, ut schillingus Belgicus, Franconicus, Tremoniensis, & Trevirensis; cujus postremi nomen jam longo tempore evanuit, tamen res ipsa hodieque superfit.

V. Solidus numeralis quaecunque monetam sub se complecti potest, sicut marca florenorum legitur in *Extrav. 2. de empt. int. comm.* ordinariè tamen sub se habet tantum monetas cursibiles, & minutas.\*

\* Ita in Monetario Trevirensi, quod magno Publici commodo nuper edidit Reverendissimus, & Illustrissimus ab HONTHEIM in *Prodrom. H. D. T. Tom. II.*, legas pag. 1163. & seqq. ad annum 1336. Ein Schilling Trierischer Denari: ad annum 1342. Fünff und zwanzig Schilling Hallische: ad annum 1345. drey Schilling grossorum novorum: ad annum 1347. sehen Schilling alter Turnos.

VI. De solido aureo non tractamus hic, breviter notantes, quod in jure civili verbo solidi, simpliciter positi, significetur aureus: e. g. in l. 36. §. ult. C. de donat. Vid. BARTOL. in l. 5. C. de susceptor. Non autem semper \* in jure canonico, maxime, dum casus est de solido censuali, aut ex alio contractu, sive ex legato, vel de penâ, ex Capitularibus adoptatâ. Vid. *Can. 20. & 27. XVII. q. 4. Cap. 10. de sepultur.*

\* Communis interpretatio in *Can. 1. & 8. X. q. 3. & cap. 16. de offic. Ordinar.* solidum accipit pro aureo, sive Gold-Gulden. Et in *cap. ult. de Rex. perm. solidum regalem* pro aureo Hungarico credimus esse sumendum.

VII. Neque etiam hic agimus de solido speciei minutae, sed de numerali; id ex usu experimentaliter monentes, quod, ubi in legibus Francorum, Saxonum, & in contractibus Veterum, scribitur simpliciter solidus, intelligatur de solido numerali, tanquam antiquiore, & usitatissimo; nisi ex contextu, vel aliunde, appareat, sermonem esse de solido speciei. \*

Vid.



\* Vid. *H. D. T. Tom. 1. pag. 514.* ad an. 1125. ubi: *veterem censum, id est, duos solidos.* Idipsum probat documentum originale anni 1303. his verbis: *Ecclesia S. Simeonis 15. solidos: in festo S. Andrea 7. solidos, & 6. denarios, & in festo S. Simeonis 7. solidos, & 6. denarios alios antè dictos.*

*Additio.* Similiter, cùm *diversarum* monetarum possit esse solidus *numeralis*, si purè scriptum sit: *tot solidos dabit*, intelligentur *denariorum* solidi, utpote communissimè in commercium deductorum; nisi expressè addatur e. g. *grossorum, hallensum.* Idem est de *marcâ, & librâ*, quæ sunt commutationes *denariorum*, nisi *alia moneta* exprimat. Vid. *cap. 2. de arbitr. cap. 13. & 16. de cens.*, ubi de marcis; *Cap. 21. de præb. cap. 7. de pignor.*, ubi de libris; *Cap. 3. de empt.*, ubi de libris, & marcis; *Cap. 4. de pign.*, ubi de libris, & solidis, *simpliciter positis.* Conf. *Monetarium Trevirense ad annum 1223. Ein Marcê Cölnisch, da 12. Solidi uff eine Marcê gaen.* Et alibi passim. Ita quoque in registro quodam censuali tantùm reperi annotatos simpliciter *solidos*, inspectis postcà literis contractûs, inveni, esse *solidos denariorum.* Id quod ante CUNONIS, & WERNERI tempora ordinariûm erat; vix enim reperies *ante hos* monetam *cujusdam solidi in specie* in Treviratu.

VIII. Solidus *numeralis* est moneta ficta, *adjectivæ qualitatis*, significans semper 12. *nummos* illius monetæ, quæ illi *in genitivo casu* postponitur: E. g. solidus *grossorum* sunt duodecim grossi: 5. solidi *sterlingorum*, de quibus in *cap. 3. de arbitr.*, sunt 60. *sterlingi.* \*

\* Et sic inter *numerales* monetas est solidus *infima*: nam *marca* est major *librâ*, *libra* major, sive plus, *solido.* *Marca* veluti *As* est, constans 12. solidis, solidus hujus assis *uncia*, *libra* plerumque *dextans.* Vid. *infra §. 16. & 17.*

IX. Hoc evidenter patet ex membranâ authenticâ S. Simeonis de anno 1304., ubi sic: *Quatuor solidis Trevirensium denariorum duntaxat exceptis, quorum tres solidi debentur Ecclesie S. Laurentii Trevir., & residui duodecim denarii debentur hæredibus.* Item ex aliâ de anno 1334., ubi ex quâdam domo solvebantur *quadragesima, & unus solidus Trevirensium denariorum, videlicet 30. solidi ad L. 10. solidi Brunoni, & duodecim denarii ad C.* \*



\* Ecce ! Hic solidus denariorum *quartus* consistit in 12. denariis, & *quadragessimus primus*, sive *residuus*, post assignatos 40., sunt pariter *duodecim denarii*.

X. Difertè idipsum scribit Chronicon *Limburgense* Joannis MECHTELI in laudato *Prodrom. Tom. II. pag. 1098. column. 2. ad annum 1374.*, ubi sic:

„ Pro notâ: Tres *ballenses* faciunt unum *denarium*: DUODE-  
 „ CIM *ballenses* faciunt unum *solidum hallensem*, sive *Album*  
 „ *Coloniensem*: Tres *solidi ballenses* faciunt unum *solidum de-*  
 „ *navium*. Duodecim *solidi denarii* constituunt *marcam* usua-  
 „ lem: *triginta solidi denarii* constituunt 90. *ballenses solidos*,  
 „ sive *totidem Albos Colonienses*, sed *antiquæ* valuationis, at-  
 „ que *optimæ materiæ* intellige; Erâtque tunc unus *Hallensis*  
 „ *præstantior* moderno *denario*. *Solidus*, ein *Schilling*ß;  
 „ *Solidus Hallensis*, ein *Schilling Heller*; *Solidus denarius*,  
 „ sive *denariorum*, ein *Schilling Pfening*: erântque utrin-  
 „ que 12. numero: computântque in *Senatu* usque modò 3. *al-*  
 „ *bos simplices* pro uno *solido* denariorum. Idem Chronicon  
 pag. 1068. ad annum 1357. notat: „ Illo tempore *maldrum*  
 „ *caseorum* constituebant 30. *casei*, quodlibet *maldrum* æstima-  
 „ batur 4. *solidis*, sive 48. *denariis* bonis, seu *electivis*, gut-  
 „ *Pfenning*, der einer jeder 3. alte gute *Heller* macht,  
 „ exuperant 3. *denarii* (i. e. minùs tribus *denariis*) erant fin-  
 „ guli *casei* 4½. computati. Confirmat pag. 1104. ad an.  
 1385.: „ Die Quart *Wein* galte zu *Limburg* 8. *Heller*.  
 „ NB. 12. *ballenses* faciunt *solidum ballensem*, uti *suprà* jam  
 „ semel monui.

XI. Consentiant in hunc *duodenarium* numerum cum WEHNERO in *observat. pract.*, BESOLDO in *thesauro practico*, ECKARDO ad *leg. Salic.*, LINDENBROGIO, WACHTERO &c., teste HÜBNERO in



in Lexico, Itali, &, teste SCHNEIDEWINO *ad Inst. tit. de injur. num. 17.*, Saxones.\*

\* Secundum Speculum Saxonicum, quod in Vocabulario lit. S. ait: Ein Schilling seynd 12. Pfenning.

XII. Quamque vetus sit hæc solidi acceptio, ostendit Lex Longobardorum apud BALUZIUM Tom. I. Capitul. pag. 351. *De omnibus debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per 12. denarios solidi solvantur.* \*

\* Ex quo apparet, solidum Longobardis non fuisse monetam speciei, sed numerum denariorum.

XIII. Similiter Franci, quorum usibus affueti erant Treviri, tam in *multis*, quam *contractibus*, per solidum intelligebant duodecim denarios.\*

\* Probat hoc Capitulare DAGOBERTI de anno 630. *Quodsi cum argento solvere contigerit, pro solido duodecim denarios, sicut antiquitus est constitutum.* BALUZ. Tom. I. pag. 37. & 825. Confer Capitulare KARLOMANNI in Synodo Liptinensi an. 743., & apud eund. pag. 149. Capitulare CAROLI M. *Eâ conditione, ut annis singulis de unaquaque casatâ solidus, id est, duodecim denarii, ad ecclesiam, vel monasterium reddantur.* Quoniam verò nonnulli intermedii Francorum Reges multam solidi exaltaverant ad 40. denarios, novitas hæc populo gravis, instante Remensi Synodo, per Capitulare correctâ fuit, atque statutum: *Ut omnis solutio, atque compositio, qua in lege salicâ continetur, inter Francos per 12. denariorum solidum componatur.* Du FRESNE in-Glossar. verbo: *solidus.*

XIV. Ex quibus apparet, sollicitè discerni debere solidum numeralem à quovis alio solido speciei, qui non sit moneta duodecim denariorum.\*

\* Tales enim solidi, i. e. *minores duodecim denariis*, non solebant imputari in *libram*; quæ, si *minor* fuerat, constabat 10. solidis fictis; si *major*, 20. solidis: Hunc ultimum numerum solidorum imputavit in *libram*, id est, 240. denarios, conventio monetaria CUNONIS Trevir. cum WENCESLAO Bohemo, quâ Luxemburgi Duce, de anno 1371., *Hist. Dipl. Trev. Tom. II. pag. 255.*, nempe, ut cuderetur 1) *Aureus duplicatus*, ein *Dubel-Gulden von Golde*, qui ponderaret duos aureos Moguntinos *gravioris ponderis*,

*pondus*, fuffent wihen zwene schwere Wentsche Gulden; 2) *Aureus simplex*, ein einziger Gulden von Golde, der iglich soll wihen einen schweren Wentschen Gulden. *Duplex* debebat valere *tres libras*, *simplex* 30. *solidos*. Non potest hic sumi *libra* pro 120. *denariis*, ita, ut *tres librae* tantum fecissent 360. *denarios*; alias *simplex aureus* per manifestam absurditatem fuffet *duplex aureus*, cum trigefies 12. etiam sint 360.: igitur *tres librae* fuerunt 60. *solidi*, id est, 720. *denarii*; & *simplex aureus Moguntinus* una *libra* cum dimidia, id est, 360. *denarii*.

XV. His illustratur, quid voluerit ordinatio monetaria CUNONIS ejusdem cum FRIDERICO, & Civitate Coloniensi de anno 1372. in dicto *Prodrom. Tom. II. pag. 1172. col. 2.* Man soll schlagen

- a) Wyffe Penning, iglichen von 2. Schillingen.
- b) Von einem Schilling.
- c) Einen von 6. Penningen, und
- d) Einen von 2. Penningen.

Nempe *primus*, sive *albus nummus* a) fecit 24. *denarios*: *secundus* b) 12. *denarios*: *tertius* c) *semissem numeralis solidi*: *quartus* d) *sextantem* ejusdem *solidi*. \*

\* *Econtra* moneta *argentea*, quæ curreret *inter Treviros, & Luxemburgenses*, anno præcedente, puta 1371., erat a) *Grossus*, qui valeret 30. *denarios*, sive 5. *Anglicos*. b) *Argenteus* ejusdem *materiae*, qui 18. *denarios*. c) *Anglicus* ejusdem *materiae*, qui 6. *denarios*. Cum itaque 360. *denarii* fecerint illum *florenum simplicem Moguntinum*, qui placuit *inter Treviros, & Luxemburgenses*, quilibet verò *illorum gressorum* 30. *denarios*, sequitur, quòd 12. tales *grossi Luxemburgico-Trevirenses* fecerint *unum aureum simplicem Moguntinum*, de cujus valore suo tempore plura. *Econtra* verò *aureus, Trevirensibus, & Coloniensibus* anno 1372. *communis*, valuit 36. *solidos*, sive 18. *albos*, de quibus supra sub a) 24. *denariorum*, consequenter 432. *denarios*.

XVI. Atque, ut etiam suppositam hæctenus, tum *marcae*, tum *librae* quantitatem, apud Treviros ordinariè magis receptam, demostrem, *Chronicon monetarium* ad annum 1342. ait: *VIII. floreni valent 6. marcas, 8. Schilling, computando florenum pro 10. Schilling.*



*Schilling. denar. monet. Confluentinae*: igitur una marca erat 144. denarii, sive 12. *solidi denariorum*, prout jam anno 1223. Vid. *suprà* §. 7. in Not. \*

\* Econtra pro marcâ Anglicanâ ibidem pag. 1167. ad annum 1270. computantur 13. *solidi* 4. *denarii*, nempe 160. *denarii*.

XVII. *Librae* valorem BESOLDUS, KÖHLERUS, aliisque de re monetariâ scribentes, præsertim *Saxonici*, post *Speculum Saxonicum* in *Vocabulario*, plerumque ponunt in octies 30. *denariis*, id est, 240.; *Trevirensia* autem monumenta variant, videnturque habuisse *duplicem* *libram*, *majorem*, & *minorem*, sive *ordinariam*. \*

\* De *majore* librâ habeo Chartam authenticam anni 1336., ubi sic: *Ex quâ quidem* *domo* *solvuntur* 4. *librae*, *annui*, & *perpetui* *cenſus*, *Trevirensium* *denariorum*, *videlicet* 32. *solidi* *Domino* *Walramo* *de* *Moguntia*, 8. *solidi* *Domino* *Ordolpho*, *dicto* *Heras*, *Scabino* *Trevirensi*, *meis* *fratribus*, 20. *solidi* *Domino* *Jacobo*, *dicto* *Ruvere*, *Scabino* *Trevirensi*, *meo* *ſororio*, *singulis* *annis*; *Item* 20. *solidi* *religiosis* *Dominabus* *montalibus* *Claustri* *Pontise* *Leonis*: *hæc* *quatuor* *librae* *evidenter* *sunt* 80. *solidi*, *proinde* *una* *libra* 20. *solidi*. *Monetam*, *Luxemburgensibus*, & *Trevirensibus* *communem*, *constituisse* *anno* 1371. *libram* *ad* 20. *solidos*, *ſuprà* *ostensum* *est* §. XIV. *Jam* *antè*, *videlicet* *anno* 1222. *notaverat* *CÆSARIUS* *Heisterbac*, *Ex-Abbas* *Prumiensis*, *ſic*: *Sunt* *in* *Avans* *manſus* 49. *cum* *manſo* *indominicato*. *Solvit* *unusquisque* (*id* *est*, *de* 48. *non* *indominicatis*) *pro* *paſto* *solidos* *duos*, *pro* *lino* *solidum* *unum*, *pro* *axilis*, & *ſcindalis* *denarios* *quatuor*, *pro* *lignario* *denarios* *quinque*, *pro* *porco* *donativo* *denarios* *quatuor*. *Solvunt* *libras* 9., & *solidos* 16., *singuli* *ſolvunt* 4. *solidos*, & 1. *denarium*. *Hiſt.* *D. T.* *Tom.* *I.* *pag.* 678., *ubi* *manifeſtè* *libra* *ſumitur* *pro* 20. *solidis*. *Accepi* *etiam* *ex* *quodam* *monaſterio* *abbatiali* *obſervationem* *antiquæ* *monetæ*, *anonymi* *annotatoris*, *quantum* *ſuſpico* *ſæc.* *XVI.*, *ubi* *ponit*; *una* *libra* *facit* 20. *solidos*; *ſed* *valdè* *malè* *intelligendo* *solidos* *ſpeciei* *minimos*. *quorum* *juxta* *ipſum* *tres* *faciant* *duos* *denarios* *rotatos*. *Quis* *enim* 12., *vel* 13. *denarios* *ſomniet* *unquam* *veteribus* *ſuiſſe* *libram*? *Igitur* *ubique* *intelliguntur* *ſolidi* *ſicti*; & *varietas* *librarum* *effecit*, *ut* *aliis* 10., *aliis* 20. *solidi* *effent* *libra*. *Monetarium* *Trevirenſe* *ad* *annum* 1342. *notavit*: 2. *libra* *valent* 20. *Schilling*: 1. *libra* *valet* 10. *Schilling* *denar.* *Cave* *ergò*, *ne* *paſſim*, & *ordinariè* *apud* *Treviros* *accipias* *pro* *librâ* 240. *denarios*.

XVIII. Nunc ad quædam exempla *de ſolido ſicti*. *Gesta Trevirorum* *Tom.* *II.* *Prodrom.* *pag.* 830. *ad* *an.* 1314. *ſcribunt*: *Iſto* *tem-*  
*pore*





pore fuit fames, permaximâque caristia in totâ istâ terrâ, ita, quodd maldrum filiginis vendebatur Treviris pro quinquaginta solidis monetæ tunc gravis. Quot erant graves denarii? ꝛ. 600. \*

\* Anno 1314, teste Monetario Trevirensi pag. Prodrum. 1167. decem denarii Trevirenses faciebant grossum, duodecim grossi florenum, quem censeo sex capitellorum; valuit ergo maldrum filiginis tunc 60. grossis, id est, mediis capitellis, sive 10. modernis florenis Rhenanis.

XIX. Secundum chartam Archivi S. Simeonis anno 1328. emebantur 40. solidi Turonensium parvorum, sive denariorum, census annui, pro 40. libris dictæ monetæ. Quot denarii annui emebantur pro sorte 100.? ꝛ. 10. \*

\* Ast istud erat usurarium! ꝛ. In mutuo fuisset, in emptione census non erat. Extrav. 1. int. com. de empt. Vid. Hist. Dipl. Trev. Tom. I. pag. 789. b. 792. b. 811. a. 828. a., ubi Remus, & Illmus Author observavit, usuras decimales fuisse tunc receptas. Ordinatio Regio-Hispanica anno 1521. stâ Martii pro terris Germano-Hispanis reduxit has veteres usuras ad 16rum denarium, etiam quoad antiquas censuum emptiones.

XX. Monetarium Trevirensis ad annum 1345. ponit: Tres solidi grossorum novorum valent 30. solid. denarior. Prodrum. Tom. II. pag. 1169. Tres solidi grossorum sunt 36. grossi. Triginta solidi denariorum sunt 360. denarii: Erat igitur quilibet grossus 10. denarii.

XXI. Chronicon MECHTELII scribit ad annum 1375.: Es galte zu Lymburg in dem Ernd das Malter Korns 1. Gulden unter der Sichel; darnach bald 10. Schilling Pfenning: annotatque: „10. Schilling Pfenning, sive 10. solidi denariorum, equiparabant Turonensibus 15., sive 30. albis: tanti vendebatur maldrum filiginis. \*

\* Hoc notabat ad significandum vile frumenti pretium. Decem solidi denariorum erant 120. denarii: totidem faciebant 15. Turonenses, de quibus ille; itaque Turonensis unus faciebat octo denarios; albus verò quatuor. Florenus 24. albos, sive Trevirenses Triarios. Per denarios accipe sic dictos rotatos



rotatos, gravissimos nempe *Crucigeros Imperii*, gute Reichs-Kreuzer, quorum octo faciunt 10. *Crucigeros*, graves *Trevirensibus nuncupatos*, comparatione videlicet *Crucigerorum Trevirensium*; dum econtra in Superiore Germaniâ *Crucigeri Rhenenses* vocantur *leves Crucigeri*, leichte Kreuzer, & *basio Rhenensis*, cujus isti sunt quarta pars, ein leichter Bassen; noster autem *Triarius*, sive (ut eum Exteri vocant) *basio Petrinus*, appellatur ibi ein guter Bassen. Quibus assumptis videbis, *maldrum sfiginis* valuisse *Limburgi mellis* tempore 2. *florenis Rhenanis*, pauld post *melltem duobus cum dimidio*.

## EXERCITIUM

### Pro rei monetariæ Studiosis

Ex *Chron. Monetar. Trevir. ad annum 1347. Prodrom.*

Tom. II. pag. 1170.

Man ist schuldig gewesen 275. Libras, und 10. Schilling gewisser alter Turnos, jeglicher ad 21. Trierische Pfening. In Abschlag dessen hat man geben

Schild-Gulden = = 825. Jeden ad 23. Solidos Trevir. denar.

Regalen = = = = 50. Jeden ad 12. = =

Kleine Florenzer-Gulden 938. Jeden ad 18. = =

Machen an gewissen alten Turnessen 90. Lib. 8. Schilling, 18. Trierische Pfening.

Noch empfangen 500. Florenzer-Gulden, berechnet vor 25. Libras gewisser Turnos.

Also bliebe man noch schuldig 160. Libr. 3. Schilling vor-gemeibter grosser Turnos.

QUÆR. An computus sit rectus, & an libra hic sumatur pro 10. solidis, an pro 20.?

I. O. G. D.

B

PARERGA





# P A R E R G A

*Ex Jure Gentium.*

## TEXTUS.

**H**ereditatum duplex conditio est, nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent: §. ult. Inst. Per quas personas.

SCHOLION. Posterior quoad liberos, non quoad collaterales, est juris gentium, prior quoad neutrum genus personarum.

*Ex Jure Canonico.*

Ad Tit. VII. Lib. III.

*Institutio autorizabilis ita est Episcoporum propria, ut nullus, manens Episcopo subiectus, eam prescribere possit.*

Ad Tit. VIII.

- I. *Beneficium, de jure tantum vacans, potest conferri, inscio etiam possessore, sed sine possessione datâ.*
- II. *Ipsò jure non vacat quodlibet beneficium residentiale per adeptionem secundi incompatibilis.*
- III. *Multò minùs non-residentiale, licèt sufficiens, per consecutionem secundi pariter sufficientis, sive residentialis, sive non-residentialis.*

Ad